

# MISSÆ PROPRIÆ DIOECESIS RATISBONENSIS

Die 29 Novembris

B. FRIDERICI A RATISBONA  
CONFESSORIS

**Duplex**

**Missa** Justus ut palma, de Com-  
muni Conf. non Pont. 2 loco, præ-  
ter Orationes sequentes:

**Oratio**

P

**D**EUS, qui beáto Friderico  
Confessóri tuo perfec-  
tióris vitæ sémitam de-  
monstráre dignátus es:  
concede propítius; ut, ejus exémplo  
terréna despiciétes, sola cæléstia  
appetámus. Per Dóminum.

**Et, in Adventu, fit Commemora-  
tio Feriæ.**

**Deinde Commemoratio Vigilæ  
S. Andrææ Apostoli:**

**Oratio**

**Q**uæsumus, omnipotens Deus:  
ut beátus Andræas Apóstolus,  
cujus prævenimus festivitátem,  
tuum pro nobis implóret auxili-  
um; ut, a nostris reátibus absolúti, a  
cunctis étiam periculis eruámur.  
(Per Dóminum nostrum.)

**Postea Commemoratio S. Satur-  
nini Martyris:**

**Oratio**

**D**eus, qui nos beáti Saturnini  
Mártiris tui concédis nata-  
lício pérfrui: ejus nos tríbue mé-  
ritis adjuvári. Per Dóminum.

**Secreta**

P

**H**óstiam tibi, Dómine, laudis im-  
molámus, suppliciter exorán-  
tes, ut vehementissimus tui amóris  
ignis, quo beátus Fridericus in eán-  
dem æstuábat, júgiter in córdibus  
nostris augeátur. Per Dóminum  
nostrum.

**Et, in Adventu, fit Commemora-  
tio Feriæ.**

**Pro Vigilia**

**Secreta**

**S**acrándum tibi, Dómine, munus  
offérimus: quo beáti Andrææ  
Apóstoli solémnia recolétes, pu-  
rificatióne quoque nostris mén-  
tibus implorámus. (Per Dóminum.)

**Pro S. Saturnino**

**Secreta**

**M**únera, Dómine, tibi dicáta  
sanctífica: et, intercedéte  
beáto Saturnino Mártyre tuo, per  
hæc éadem nos placátus inténde.  
Per Dóminum nostrum.

**Postcommunio**

P

**A**ngelórum esca nutriti, concede,  
quæsumus, omnipotens De-  
us: ut, intercedéte beáto Friderico  
Confessóre tuo, humilitátem et ca-  
ritátem exercétes; ad cæléstem  
pátriám perducámur. Per Dómi-  
num nostrum Jesum Christum, Fi-  
lium tuum: Qui tecum vivit et reg-  
nat in unitáte Spíritus Sancti Deus.  
**Et, in Adventu, fit Commemora-  
tio Feriæ.**



**Pro Vigilia Postcommunio**

**P**ercéptis, Dómine, sacraméntis suppliciter exorámus: ut, intercedente beáto Andréa Apóstolo tuo, quæ pro illius veneránda gérimus passióne, nobis proficiant ad medélam. (Per Dóminum.)

**Pro S. Saturnino Postcommunio**

**S**anctificet nos, quæsumus, Dómine, tui percéptio sacraménti: et intercessióne Sanctórum tuórum tibi reddat accéptos. Per Dóminum.

**In fine legitur sequens Evangelium de Vigilia:**

**✠** Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem

**Joann. 1, 35-51**

**I**n illo témpore: Stabat Joánnes, et ex discipulis ejus duo. Et respiciens Jesum ambulántem, dicit: Ecce Agnus Dei. Et audiérunt eum duo discipuli loquéntem, et secúti sunt Jesum. Convérsus autem Jesus, et videns eos sequéntes se, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi (quod dicitur interpretátum Magister), ubi hábitas? Dicit eis: Veníte et vidéte. Venérunt et vidérunt, ubi manéret, et apud eum mansérunt die illo: hora autem erat quasi décima. Erat autem Andréas, frater Simónis Petri, unus ex duóbus, qui audierant a Joáanne et secúti fúerant eum. Invénit hic primum fratrem suum Simónem, et dicit ei: Invénimus Messíam (quod est interpretátum Christus). Et addúxit eum ad Jesum. Intúitus autem eum Jesus, dixit:

Tu es Simon, filius Jona: tu vocáberis Cephas, quod interpretátur Petrus. In crástinum vóluit exire in Galilæam, et invénit Philippum. Et dicit ei Jesus: Séquere me. Et autem Philippus a Bethsáida, civitate Andréæ et Petri. Invénit Philippus Nathánael, et dicit ei: Quem scripsit Móyses in lege, et Prophætæ, invénimus Jesum, filium Joseph, a Náza-reth. Et dixit ei Nathánael: A Náza-reth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni et vide. Vidit Jesus Nathánael veniéntem ad se, et dicit de eo: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. Dicit ei Nathánael: Unde me nosti? Respóndit Jesus et dicit ei: Priúsqvam te Philippus vocáret, cum esses sub ficu, vidi te. Respóndit ei Nathánael et ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel. Respóndit Jesus et dicit ei: Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis: majus his vidébis. Et dicit ei: Amen, amen, dico vobis, vidébitis cælum apértum, et Angelos Dei ascendéntes et descendéntes supra Filium hóminis.

**¶ In Ecclesia Cathedrali et Collegiatis hodie post Tertiam extra Chorum legitur Missa conventualis de B. Friderico Conf. cum Commemoratione S. Saturnini Mart. tantum, et in Choro post Nonam dicitur Missa conventualis de Vigilia. In Adventu 2<sup>a</sup> Oratio Feriæ, 3<sup>a</sup> de sancta Maria Deus, qui de beatæ; extra Adventum 2<sup>a</sup> Oratio a cunctis, 3<sup>a</sup> ad libitum. Missæ autem privatae dici possunt, juxta Ru-**



Festa Januarii (17, 19)  
bricas, vel de B. Friderico cum Com-  
memoratione Feriæ (in Adventu),  
Vigiliæ ac S. Saturnini et ultimo  
Evangelio Vigiliæ, vel de Vigilia  
cum Commemoratione B. Friderici,  
in Adventu Feriæ, ac S. Saturnini.

Die 17 Januarii  
B. GAMELBERTI  
CONFESSORIS

Duplex

Missa Os justi, de Communi Con-  
fessoris non Pontificis 1 loco, præ-  
ter Orationes sequentes:

Oratio

**D**eus, tuorum glória Sacerdó-  
tum: præsta, quæsumus; ut  
beáti Gamelbérti Confessoris tui,  
cujus festa gérimus, sentiámus au-  
xilium. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Antonii  
Abbatis:

Oratio

**I**ntercéssio nos, quæsumus, Dó-  
mine, beáti Antónii Abbátis  
comméndet: ut, quod nostris mé-  
ritis non valémus, ejus patrocínio  
assequámur. Per Dóminum.

Secreta

**P**ræsta, quæsumus, Dómine: ut  
beáti Gamelbérti Confessoris  
tui méritis et précibus piæ nobis  
fructus devotiõnis accréscaat. Per  
Dóminum nostrum.

Pro S. Antonio

Secreta

**S**acris altáribus, Dómine, hóstias  
superpósitas sanctus Antónius  
Abbas, quæsumus, in salutem no-  
bis provenire depóscat. Per Dó-  
minum nostrum.

Propr. Miss. Ratisbonen.

Postcommunio

3\*

P

**O**mnipotens et miséricors Deus,  
qui nos sacramentórum tuó-  
rum et participes éfficis et mini-  
stros: præsta; ut, intercedente beá-  
to Gamelbérto Confessore, ejús-  
dem proficiámus et fidei consórtio  
et digno servitio. Per Dóminum.

Pro S. Antonio Postcommunio

**P**rótegat nos, Dómine, cum tui  
perceptiõne sacraménti beá-  
tus Antónius Abbas, pro nobis in-  
tercedendo: ut et conversatiõnis  
ejus experiámur insignia, et inter-  
cessiõnis percipiámus suffrágia.  
Per Dóminum nostrum Jesum Chri-  
stum, Fílium tuum: Qui tecum vivit  
et regnat.

Die 19 Januarii

S. ERHARDI EP. ET CONF.,  
PATRONI MINUS PRINCIP.  
DIECESIS

Duplex majus

Introitus Eccli. 45, 30

**S**TATUIT ei Dóminus testa-  
méntum pacis, et principem  
fecit eum: ut sit illi sacerdotii  
dignitas in ætérnum. Ps. 131, 1  
Meménto, Dómine, David: et om-  
nis mansuetúdinis ejus.

V. Glória Patri.

Oratio

**D**a, quæsumus, omnipotens De-  
us: ut beáti Erhárdi Confes-  
soris tui atque Pontificis veneránda  
solémnitas, et devotiõnem nobis  
áugeat et salutem. Per Dóminum  
nostrum.

1\*



Et fit Commemoratio Ss. Marii, Marthæ, Audifacis et Abachum Martyrum:

Oratio

**E**xaudi, Dómine, pópulum tuum cum Sanctórum tuórum patrocinio supplicántem: ut et temporalis vitæ nos tribuas pace gaudere; et æternæ reperire subsidium. (Per Dóminum nostrum.)

Deinde Commemoratio S. Canuti Regis, Martyris:

Oratio

**D**eus, qui ad illustrándam Ecclésiám tuam beátum Canutum regem martyrii palma et gloriósis miraculis decoráre dignátus es: concéde propítius; ut, sicut ipse Domínicæ passiónis imitátor fuit, ita nos, per ejus vestigia gradiéntes, ad gáudia sempitérna pervenire mereámur. Per eúndem Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ

Eccli. 44, 16-27 et 45, 3-20

**E**cce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuít Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. Non est invéntus similis illi, qui conservávit legem Excélsi. Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedicciónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictiónibus suis: conservávit illi misericórdiam suam: et invénit grátiam coram óculis

Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum: et dedit illi coronam glóriæ. Státuit illi testaméntum ætérnum, et dedit illi testaméntum magnum: et beatificávit illum in glória. Fungi sacrificávit et habére laudem in nómine ipsius, et offérre illi incénsus dignum in odórem suavitátis.

Graduale Eccli. 44, 16 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuít Deo. **V.** Ibid., 20 Non est invéntus similis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. **V.** Ps. 109, 4 Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órđinem Melchisedech. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. **V.** Potens in terra erit semen ejus: generátio recitórum benedicétur. **V.** Glória et divítia in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam

Luc. 12, 35-40

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, et lucérnæ ardéntes in má nibus vestris, et vos símiles hominibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a nuptiis: ut, cum vénerit et pulsáverit, conféstim apériant ei. Beáti servi illi, quos, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántes: amen, dico vobis.



quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi. Hoc autem scitote, quoniam, si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

**Offertorium Ps. 88, 21-22** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.

### Secreta

**S**ancti tui, quaesumus, Domine, nos ubique laetificent: ut, dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per Dominum.

### Pro Ss. Martyribus Secreta

**P**reces, Domine, tuorum respice oblationesque fidelium: ut et tibi gratæ sint pro tuorum festivitate Sanctorum, et nobis conferant tuæ propitiacionis auxilium. (Per Dominum nostrum.)

### Pro S. Canuto Secreta

**A**ccépta sit in conspectu tuo, Domine, nostra devotio: et ejus nobis fiat supplicacione salutaris, pro cujus solemnitate defertur. Per Dominum nostrum.

**Communio Luc. 12, 42** Fidelis servus et prudens, quem constituit dominus super familiam suam: ut det illis in tempore tritici mensuram.

### Postcommunio

**P**ræsta, quaesumus, omnipotens Deus: ut, de perceptis muneribus gratias exhibentes, intercedente beato Erhardo Confessore tuo atque Pontifice, beneficia potiora sumamus. Per Dominum.

### Pro Ss. Martyribus Postcommunio

**S**anctorum tuorum, Domine, intercessione placatus: præsta, quaesumus; ut, quæ temporali celebramus actione, perpétua salvatione capiamus. (Per Dominum.)

### Pro S. Canuto Postcommunio

**R**efecti participatione muneris sacri, quaesumus, Domine, Deus noster: ut, cujus exsequimur cultum, intercedente beato Canuto Martyre tuo, sentiamus effectum. Per Dominum nostrum.

Die 3 Martii

S. CUNEGUNDIS  
IMPERATRICIS, VIRGINIS

Duplex majus

**Missa Vultum tuum, de Communi Virginum 4 loco, præter Evangelium, ut infra.**

**Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ac legitur ejus Evangelium in fine.**

**✠** Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum 19, 3-12

**I**n illo tempore: Accesserunt ad Jesum pharisæi tentantes eum, et dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? Qui respondens, ait eis: Non legistis, quia, qui fecit homi-



nem ab initio, masculinum et feminam fecit eos? et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adheret uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia, quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur: et qui dimissam duxerit, moechatur. Dicunt ei discipuli ejus: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum. Qui potest capere, capiat.

Die 15 Martii

S. CLEMENTIS MARIE HOF-  
BAUER CONFESSORIS

**Duplex majus**

**Missa** Justus ut palma, de Comuni Confessoris non Pontificis 2 loco, praeter Orationes sequentes:

**Oratio**

**P**

**D**eus, qui beatum Clementem Mariam miro fidei robore et invictae constantiae virtute deco-

raſti: ejus meritis et exemplis fac nos, quaesumus, ita fortes in fide et caritate ferventes; ut praemia consequamur aeterna. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

**Et fit Commemoratio Ferae.**

**Secreta**

**I**lle nos, quaesumus, Domine, devotionis ignis accendat; quo beatus Clemens Maria, dum salutarem offerret hostiam, jugiter flagavit. Per Dominum.

**Et fit Commemoratio Ferae.**

**Postcommunio**

**C**aelesti pane refectis concede nobis, omnipotens Deus: ut beati Clementis exemplo in fortitudine cibi illius usque ad montem, qui Christus est, feliciter perveniamus: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

**Et fit Commemoratio Ferae, et legitur ejus Evangelium in fine.**

Die 27 Martii

S. RUPERTI  
EP. ET CONF.

**Duplex**

**Missa** Statuit, de Comuni Confessoris Pontificis 1 loco.

**Et fit Commemoratio S. Joannis Damasceni Conf. et Eccl. Doct., ut in Missali hac die, et dicitur Credo.**

**Deinde, in Quadragesima, Commemoratio Ferae, de qua legitur etiam Evangelium in fine.**



Die 19 Aprilis  
S. LEONIS IX  
PAPÆ ET CONFESSORIS

Simplex

Missa Státuit, de Comuni Confessoris Pontificis 1 loco.

Die 21 Aprilis  
S. CONRADI A PARZHAM  
CONFESSORIS

Duplex

Missa Os justi, de Comuni Confessoris non Pontificis 1 loco, præter Orationes sequentes:

Oratio

**D**eus, qui misericordiæ tuæ jánuam fidélibus patére voluisti: te súpplices exorámus; ut, intercedénte beáto Conrado Confessore tuo, temporália subsidia nobis tribuas et ætérna. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Anselmi Ep., Conf. et Eccl. Doct.:

Oratio

**D**eus, qui pópulo tuo ætérnae salutis beátum Anselmum ministrum tribuisti: præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habuimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum nostrum.

Credo, ratione Commemorationis S. Doctoris.

Secreta

**O**blatiónes nostras tibi, Dómine, quæsumus, beáti Conradi intercèssio veneránda comméndet: quem coram tuis altáribus precántem supernórum charismatum dulcédine recreásti. Per Dóminum.

Pro S. Anselmo

Secreta

**S**ancti Anselmi Pontificis tui atque Doctóris nobis, Dómine, pia non desit orátio: quæ et múnera nostra concíliet; et tuam nobis indulgéntiam semper obtíneat. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

**S**úmpsimus, Dómine, tua sancta, beáti Conradi mérita recoléntes: præsta, quæsumus; ut ejus semper et præcláro proficiámus exémplo et fidéli muniámur auxilio. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Anselmo

Postcommunio

**U**t nobis, Dómine, tua sacrificia dent salutem: beátus Anselmus Póntifex tuus et Doctor egrégus, quæsumus, precátor accédát. Per Dóminum nostrum.

Die 27 Aprilis  
S. PETRI CANISII  
CONF. ET ECCL. DOCT.

Duplex II classis

Missa ut in Missali hac die.



Sabbato primo mensis Maji

# IN SOLEMNITATE BEATÆ MARIÆ VIRG. PATRONÆ BAVARIÆ

Duplex I classis

¶ *Extra Tempus Paschale omit-  
tuntur Allelúja ad Introitum, Of-  
fertorium et Communionem.*

## Introitus

**G**AUDEAMUS omnes in  
Dómino, Patrocinium ce-  
lebrántes gloriósæ Virgi-  
nis Mariæ, de cujus solemnitáte  
gaudent Angeli et colláudant Fi-  
lium Dei, allelúja, allelúja. *Ps. 43, 2*  
Deus, áuribus nostris audívimus:  
patres nostri annuntiavérunt nobis.

¶ *Glória Patri.*

## Oratio

**D**eus, qui dilécti Filii tui Geni-  
trícem nobis Matrem ac Pa-  
trónam dare dignátus es: concéde  
propítius; ut sub hujus Matris tuté-  
la ab omni hóstium defendámur in-  
cúrsu, et sine tímóre in sanctitáte et  
justítia tibi serviámus. Per eúndem  
Dóminum nostrum.

Lectio libri Apocalýpsis beáti Jo-  
ánnis Apóstoli

*Apoc. 12, 1, 5, 10 et 17*

**S**ignum magnum appáruit in cæ-  
lo: múlier amicta sole et luna  
sub pédibus ejus et in cápite ejus  
coróna stellárum duódecim. Et pé-  
perit filium másculum, qui réctú-  
rus erat omnes gentes in virga fér-  
rea, et raptus est filius ejus ad  
Deum et ad thronum ejus. Et au-  
divi vocem magnam in cælo dicén-  
tem: Nunc facta est salus et virtus

et regnum Dei nostri et potéstas  
Christi ejus, quia projectus est ac-  
cusátor fratrum nostrórum, qui ac-  
cusábat illos ante conspéctum Dei  
nostri die ac nocte. Et irátus est  
draco in mulierem et ábiit facere  
prælium cum réliquis de sémine  
ejus, qui custódiunt mandáta Dei et  
habent testimónium Jesu Christi.

Allelúja, allelúja. ¶ *Num. 17, 8*  
Virga Jesse flóruit: Virgo Deum et  
hóminem génuít: pacem Deus réddi-  
dit, in se reconcílians ima summis.  
Allelúja. ¶ *Luc. 1, 28* Ave, María,  
grátia plena; Dóminus tecum: be-  
nedicta tu in muliéribus. Allelúja.

## Extra Tempus Paschale

*Graduale Cant. 6, 3 et 9* Tota  
formósa et suávis es, filia Sion;  
pulchra ut luna, elécta ut sol, ter-  
ribilis ut castrórum ácies ordináta.  
¶ *Judith 13, 22* Benedixit te Dó-  
minus in virtúte sua, quia per te ad  
nihilum redégit inimicos nostros.

Allelúja, allelúja. ¶ *Luc. 1, 28*  
Ave, María, grátia plena; Dómi-  
nus tecum: benedicta tu in mulié-  
ribus. Allelúja.

*In Missis votivis post Septuage-  
simam, omissis Allelúja et Versu  
sequenti, dicitur*

*Tractus Ps. 44, 11 et 12* Audi, fi-  
lia, et vide, et inclina aurem tuam:  
quia concupivit Rex spéciem tuam.  
¶ *Ib., 13 et 10* Vultum tuum depre-



cabuntur omnes divites plebis: filiae regum in honore tuo. **V. Ib., 15-16** Adducuntur Regi virgines posteam: proxima eius afferentur tibi. **V. Af-** adducuntur in templum Regis.

**+** Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem **2, 1-11**

**I**n illo tempore: Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae: et erat Mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus ad nuptias. Et deficiente vino, dicit Mater Jesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Jesus: Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea. Dicit Mater ejus ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideae hydrariae sex positae secundum purificationem Judaeorum, capientes singulae metretas binas vel ternas. Dicit eis Jesus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum. Et dicit eis Jesus: Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et non sciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus, et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: et cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est. Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilaeae: et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus. **Credo.**

**Offertorium Jerem. 18, 20** Recordare, Virgo Mater, in conspectu

Dei, ut loquaris pro nobis bona, et ut avertat indignationem suam a nobis, alleluja.

### Secreta

**P**raesta, quaesumus, omnipotens Deus: ut, precibus beatae Mariae semper Virginis, cujus Partuocinio gloriamur, fideles tui honorant, et consequantur effectum. Per Dominum nostrum.

**Præfatio de B. Maria Virg.** Et te in Festivitate.

**Communio Cant. 2, 3** Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo, alleluja.

### Postcommunio

**C**aelestibus pasti deliciis, te supplices deprecamur, Domine, Deus noster: ut, beata Maria semper Virgine protegente, ab erroribus saeculi carnisque illucebris servati, et in fide inveniamur stabiles et in opere efficaces. Per Dominum.

Die 11 Maji

S. GODEHARDI  
EP. ET CONF.

### Semiduplex

**Missa** Sacerdotes tui, de Communi Confessoris Pontificis 2 loco, praeter Epistolam ut infra.

**Lectio** Epistolae beati Pauli Apostoli ad Hebraeos **13, 7-17**

**F**ratres: Memento praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum imitantes exitum conversationis, imitami fidem. Jesus Christus heri



et hódie: ipse et in sǎcula. Doctrinis váriis et peregrinis nolite ab dúci. Optimum est enim grátia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animá- lium infértur sanguis pro peccáto in Sancta per pontificem, horum córpora cremántur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópu- lum, extra portam passus est. Ex- eámus igitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. Non enim habémus hic manéntem civi- tátem, sed futúram inquirimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam lau- dis semper Deo, id est, fructum la- biórum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiæ autem et communió- nis nolite oblivisci: tálibus enim hó- stiis promerétur Deus. Obcédite præpósitis vestris et subjacéte eis. Ipsi enim pervigilant, quasi ra- tiónerem pro animábus vestris red- ditúri.

Die 16 Maji

S. JOANNIS NEPOMUCENI  
MARTYRIS

*Duplex majus*

*Missa Dedit mihi, ut inter Festa  
pro aliquibus locis, præter primam  
Orationem sequentem:*

*Oratio*

**D**eus, qui ob invictum beáti Jo- ánnis sacramentále siléntium nova Ecclésiám tuam martýrii co-

róna decorásti: da nobis, ejus in- tercessióne et exémplo, linguam caute custodire; ac ómnia pótius mala quam ánimæ detriméntum in hoc sǎculo toleráre. Per Dóminum.

*Et fit Commemoratio S. Ubaldi  
Ep. et Conf.:*

*Oratio*

**A**uxílium tuum nobis, Dómine, quæsumus, placátus impén- de: et, intercessióne beáti Ubáldi Confessóris tui atque Pontificis, contra omnes diabóli nequítias dex- teram super nos tuæ propitiatiónis exténde. Per Dóminum.

*Secreta*

**H**æc tua, Dómine, sacra mysté- ria illum in nobis, quæsumus, ignem accéndant: quo ínclytus Mar- tyr et Sacérdos tuus Joánnes, ea peragéndo, flagrâbat. Per Dómi- num nostrum.

*Pro S. Ubaldo*

*Secreta*

**S**ancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubique lætificent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

*Postcommunio*

**F**ragilitátem nostram, Dómine, cæléstis hæc mensa fórtium pane confírmes: qui beáti Mártyris et Sacerdótis tui Joánnis tentátam contra honórem sacraménti con- stántiam, júgiter áluit ad victóriam. Per Dóminum nostrum.

*Pro S. Ubaldo*

*Postcommunio*

**P**ræsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, de percéptis munéri- bus grátias exhibéntes, intercedén-



te beáto Ubáldo Confessóre tuo at-  
que Pontífice, beneficia potióra su-  
mámus. Per Dóminum nostrum.

Die 5 Junii  
S. BONIFATII  
EP. ET MART.  
FUNDATORIS DICECESIS

Duplex II classis

Missa Exsultábo, ut in Missali  
hac die.

Die 16 Junii  
S. BENNONIS  
EP. ET CONF.

Duplex majus

Missa Státuit, de Communi Con-  
fessoris Pontificis 1 loco, præter  
Orationes sequentes:

Oratio P

Deus, qui nos beáti Bennónis  
Pontíficis confessióne glorió-  
sa circúmdas et prótegis: da nobis,  
et ejus imitatióne profícere, et in-  
tercessióne gaudére. Per Dómi-  
num nostrum.

Secreta P

Sanctus tuus, quæsumus, Dómi-  
ne, Benno Conféssor et Pón-  
tífex nos ubique lætíficet: ut, dum  
ejus recólimus mérita gloriósa,  
apud te semper ejus patrocínia  
sentiámus. Per Dóminum.

Postcommunio P

Quæsumus, Dómine, salutáribus  
Repléti mystériis: ut sancti tui  
Bennónis Confessóris et Pontífi-  
cis, cujus solémnia celebrámus,  
étiam intercessióne adjuvémur. Per  
Dóminum nostrum.

Die 29 Junii

SS. PETRI ET PAULI APP.  
TITULARIUM ECCLESIAE  
CATHEDRALIS

Duplex I classis cum Octava  
communi

Missa Nunc scio vere, ut in Mis-  
sali hac die.

Die 30 Junii

IN ANNIVERSARIO  
DEDICATIONIS ECCLESIAE  
CATHEDRALIS

Duplex I classis cum Octava  
communi

Missa Terribilis, de Communi De-  
dicationis Ecclesiae.

Et, in Missis privatis lectis tan-  
tum, fit Commemoratio S. Pauli  
Ap. et S. Petri Ap., ut in Missali  
hac die.

Infra Octavam de ea fit Comme-  
moratio, juxta Rubricas.

Die 4 Julii

S. UDALRICI  
EP. ET CONF.

Duplex

Missa Sacerdotes tui, de Com-  
muni Confessoris Pontificis 2 loco,  
præter Evangelium Homo pègre,  
ex Missa Státuit, de eodem Com-  
muni 1 loco.

Et fit Commemoratio Octavæ  
Ss. Petri et Pauli App., ut in Mis-  
sali hac die, atque Octavæ Dedic-  
tionis Ecclesiae Cathedralis, ac di-  
citur Credo et Præfatio Aposto-  
lorum, ratione Octavæ.



Die 7 Julii

IN OCTAVA DEDICATIONIS  
ECCLESIAE CATHEDRALIS

Duplex majus

*Missa Terribilis, de Communi Dedicacionis Ecclesiae.**Et fit Commemoratio Ss. Cyrilli et Methodii Episcoporum et Confessorum.*

Die 9 Julii

S. OTTONIS  
EP. ET CONF.

Duplex

*Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco, præter Evangelium ut infra:***✠** Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam*Luc. 11, 33-36*

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis: Nemo lucérnam accéndit, et in abscondito ponit, neque sub módio: sed supra candelábrum, ut, qui ingrediúntur, lumen videant. Lucérna córporis tui est óculus tuus. Si óculus tuus fúerit simplex, totum corpus tuum lícidum erit: si autem nequam fúerit, étiam corpus tuum tenebrósum erit. Vide ergo, ne lumen, quod in te est, ténebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lícidum fúerit, non habens áliquam partem tenebrárum, erit lícidum totum, et sicut lucérna fulgóris illuminábit te.

Die 13 Julii

S. HENRICI IMPERATORIS,  
CONFESSORIS

Duplex majus

*Missa Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, præter Orationes sequentes:*

Oratio

**D**eus, qui hodiérna die beátum Henricum Confessórem tuum e terréni cúlmine impérii ad regnum ætérnum transtulisti: te supplices exorámus; ut, sicut illum, grátiae tuæ ubertáte prævéntum, illécebras sáculi superáre fecisti, ita nos fácias, ejus imitatióne, mundi hujus blandiménta vitáre et ad te puris méntibus pervenire. Per Dóminum nostrum.

*Et fit Commemoratio S. Anacleti Papæ et Martyris:*

Oratio

**D**eus, qui nos beáti Anacleti Mártiris tui atque Pontificis ánnua solemnitáte lætíficas: concede propítius; ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

*¶ Ubi vero S. Henricus sit Patronus loci principalis vel Titulus Ecclesiae, de S. Anacleto fit Commemoratio in Missis privatis lectis tantum.*

Secreta

**P**ræsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, sicut beátus Henricus Confessor tuus, spretis mundi oblectaméntis, soli Regi Christo placére stúduit; ita ejus orátio nos



tibi reddat acceptos. Per eundem  
Dóminum nostrum.

**Pro S. Anacleto**

**M**únera tibi, Dómine, dicata  
sanctifica: et, intercedente  
beáto Anacleto Mártire tuo atque  
Pontífice, per eadem nos placatus  
intende. Per Dóminum nostrum.

**Secreta**

**Postcommunio**

**D**eus, qui beátum Confessorem  
tuum Henricum mirificasti in  
terris et gloriósum in cælis fecisti:  
eundem, quæsumus, Ecclésiæ tuæ  
constitue defensorem. Per Dómi-  
num nostrum.

**Pro S. Anacleto**

**Postcommunio**

**H**æc nos commúnio, Dómine,  
purget a crimine: et, interce-  
dente beáto Anacleto Mártire tuo  
atque Pontífice, cælestis remédii  
fáciat esse consórtes. Per Dómi-  
num nostrum.

Die 15 Julii fit de Feria cur-  
renti, ideoque Missa dicitur de Do-  
minica præcedenti, nisi dicatur  
Missa aliqua votiva vel Defunc-  
torum.

Die 22 Septembris  
S. EMMERAMI  
EP. ET MART.  
PATRONI MINUS PRINCIP.  
DIECESIS

**Duplex majus**

**Introitus Eccli. 45, 30**

**S**TATUIT ei Dóminus testa-  
mentum pacis, et principem  
fecit eum: ut sit illi sacerdotii  
dignitas in ætérnum. **Ps. 131, 1**

Meménto, Dómine, David: et omnis  
mansuetúdinis ejus.  
V. Glória Patri.

**Oratio**

**I**nfirmitátem nostram respice, om-  
nipotens Deus: et, quia pondus  
propriæ actiónis gravat, beáti Em-  
merámi Mártiris tui atque Pontífi-  
cis intercésio gloriósa nos próte-  
gat. Per Dóminum nostrum.

**Et fit Commemoratio S. Thomæ  
de Villanova Ep. et Conf.:**

**Oratio**

**D**eus, qui beátum Thomam Pon-  
tíficem insignis in páupe-  
res misericórdiæ virtúte decorasti:  
quæsumus; ut, ejus intercessióne,  
in omnes, qui te deprecántur, di-  
vítias misericórdiæ tuæ benignus  
effúndas. (Per Dóminum nostrum.)

**Deinde Commemoratio Ss. Mau-  
ritii et Sociorum Martyrum:**

**Oratio**

**A**nnue, quæsumus, omnipotens  
Deus: ut sanctórum Márti-  
rum tuórum Maurítii et Sociórum  
ejus nos lætificet festiva solémnitas;  
ut, quorum suffrágiis nitimur, eó-  
rum natalitiis gloriémur. Per Dó-  
minum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ

**Sap. 10, 10-14**

**J**ustum dedúxit Dóminus per vias  
rectas, et osténdit illi regnum  
Dei, et dedit illi sciéntiam sanctó-  
rum: honestávit illum in labóribus,  
et complévit labóres illius. In frau-  
de circumveniéntium illum áffuit  
illi, et honéstum fecit illum. Custo-  
dívit illum ab inimicis, et a seduc-



tóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret, quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non dereliquit, sed a peccatóribus liberávit eum: descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non dereliquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant: et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum: et dedit illi claritátem ætérnam, Dóminus, Deus noster.

**Graduale Ps. 88, 21-23** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. **V.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei.

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 109, 4** Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órđinem Melchisedech. Allelúja.

**✠** Sequéntia sancti Evangélli secúndum Lucam

**Luc. 14, 26-33**

**I**n illo témpore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et filios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et qui non bájulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discípulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificáre, non prius sedens cóputat sumptus, qui necessarij sunt, si hábeat ad perficiéndum; ne, posteáquam posúerit fundaméntum, et non potúerit perfí-

cere, omnes, qui vident, incipiant illúdere ei, dicétes: Quia hic homo cœpit ædificáre, et non pótuit consummáre? Aut quis rex itúrus committere bellum advérsus álium regem, non sedens prius cógitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus veniat ad se? Alióquin, adhuc illo veniente, legatióem mittens, rogat ea, quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renúnciat ómnibus, quæ póssidet, non potest meus esse discípulus.

**Offertorium Ps. 88, 25** Veritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

**Secreta**

**H**óstias tibi, Dómine, beáti Emerámi Mártyris tui atque Pontificis dicátas méritis, benignus assúme: et ad perpétuum nobis tribue provenire subsidium. Per Dóminum nostrum.

**Pro S. Thoma de Villanova**

**Secreta**

**S**ancti Thomæ Confessóris tui atque Pontificis, quæsumus, Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis officia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátia tuæ dona conciliet. (Per Dóminum nostrum.)

**Pro Ss. Mauritio et Socijs**

**Secreta**

**R**éspice, quæsumus, Dómine, múnera, quæ in sanctórum Mártyrum tuórum Maurítii et So-



ciórum ejus commemoratióne de-  
fériamus: et præsta; ut, quorum ho-  
intercessióne perpétua. Per Dómi-  
num nostrum.

**Communio Ps. 88, 36 et 37-38**  
Semel jurávi in sancto meo: Semen  
ejus in ætérnum manébit: et sedes  
ejus sicut sol in conspéctu meo, et  
sicut luna perfécta in ætérnum, et  
testis in cælo fidélis.

### Postcommunio

**R**efécti participatióne mún-  
sacri, quæsumus, Dómine,  
Deus noster: ut, cujus exséquimur  
cultum, intercedénte beáto Emme-  
rámo Mártyre tuo atque Pontifice,  
sentiamus efféctum. Per Dóminum  
nostrum.

**Pro S. Thoma de Villanova**

### Postcommunio

**D**eus, fidélium remunerátor ani-  
márum: præsta; ut beáti Tho-  
mæ Confessóris tui atque Pontifi-  
cis, cujus venerándam celebrámus  
festivitátem, précibus indulgéntiam  
consequámur. (Per Dóminum.)

**Pro Ss. Mauritio et Sociis**

### Postcommunio

**C**æléstibus refécti sacraméntis  
et gáudiis: súpplices te rogá-  
mus, Dómine; ut, quorum gloriá-  
mur triúmphis, protegámur auxi-  
liis. Per Dóminum nostrum.

† **Pro votiva Tempore Paschali**  
dicatur Missa Protexisti, de Com-  
muni 1 loco, præter Epistolam  
Justum dedúxit, ut supra 13\*.

Die 3 Octobris

BEATI UTTONIS ABBATIS

### Duplex

Missa Os justi, de Communi Ab-  
batum, præter Orationem sequen-  
tem:

### Oratio

**D**eus, qui fámulum tuum beá-  
tum Uttónem Abbátem et  
sanctificásti vocatióne misericórdi  
et assumpsisti consummatione fe-  
lici: præsta, quæsumus; ut, qui te-  
cum est méritis, a nobis non recé-  
dat précibus et extrémis. Per Dó-  
minum nostrum.

**Et fit Commemoratio S. Teresiæ  
a Jesu Infante Virginis:**

### Oratio

**D**ómine, qui dixisti: Nisi effié-  
mini sicut párvuli, non intrá-  
bitis in regnum cælórum: da nobis,  
quæsumus; ita sanctæ Teresiæ Vir-  
ginis in humilitáte et simplicitáte  
cordis vestigia sectári, ut præmia  
consequámur ætérna: Qui vivis.

### Secreta

**S**acris altáribus, Dómine, hóstias  
superpósitas beátus Utto Ab-  
bas, quæsumus, in salutem nobis  
provenire depóscat. Per Dóminum  
nostrum.

**Pro S. Teresia**

### Secreta

**S**acrificium nostrum tibi, Dómi-  
ne, quæsumus, sanctæ Teresiæ  
Virginis tuæ precatio sancta concí-  
liet: ut, in cujus honóre solémniter  
exhibétur, ejus méritis efficiátur ac-  
céptum. Per Dóminum nostrum.



**Postcommunio** C

**P**rótegat nos, Dómine, cum tui perceptiōne sacramēti beātus Utto Abbas, pro nobis intercedēdo: ut et conversatiōnis ejus experiāmur insignia, et intercessiōnis percipiāmus suffrāgia. Per Dóminum nostrum.

**Pro S. Teresia Postcommunio**

**I**llo nos, Dómine, amoris igne cælestē mysterium inflāmet: quo sancta Teresia Virgo tua se tibi pro hominibus caritatis victimam devōvit. Per Dóminum nostrum.

Die 9 Octobris

SS. DIONYSII EPISCOPI,  
PATRONI MINUS PRINCIP.  
DIOECESIS,  
AC RUSTICI ET ELEUTHERII  
SOC. MARTYRUM

**Duplex majus**

**Missa propria** Sapiēntiam, **ut in**  
**Missali hac die.**

Die 12 Octobris

IN TRANSLATIONE S. WOLFGANGI EP. ET CONF.

**Duplex****Introitus Eccli. 45, 30**

**S**TATUIT ei Dóminus testamentum pacis, et principem fecit eum: ut sit illi sacerdoti dignitas in ætérnum. **Ps. 88, 2** Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo. **V.** Glória Patri.

**Oratio**

**S**ancti Pontíficis tui, Dómine, et Patris nostri Wolfgangi solēnitatem nobis celebrántibus tribue:

ut, sicut translationem ejus devotissime colimus, ita et actus ejus fideliter imitemur. Per Dóminum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Timotheum

**2 Tim. 4, 1-8**

**C**arissime: Testificor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius, et regnum ejus: prædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple. Sobrius esto. Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo repõsita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die, justus iudex: non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus.

**Graduale Eccli. 44, 16** Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo. **V. Ibid., 20** Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi.

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 109, 4** Juravit Dóminus, et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in ætérnum, secundum ordinem Melchisedech. Allelúja.



† Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam

Luc. 12, 35-40

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris, et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis: ut, cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. Beati servi illi, quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes: amen, dico vobis, quod praecinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi. Hoc autem scitote, quoniam, si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sinneret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

Et dicitur Credo.

Offertorium Ps. 88, 21-22 Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.

Secreta

Hostias, quaesumus, Domine, quas tuae majestati consecrandas offerimus, interveniente beato Wolfgango, Confessore tuo atque Pontifice, ad perpetuam atque praesentem fac nobis provenire salutem. Per Dominum nostrum.

Communio Matth. 24, 46-47 Beatus servus, quem, cum venerit dominus, invenerit vigilantem: amen,

dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Postcommunio

Tua sancta sumentes, quaesumus, Domine, Deus noster: ut beati Wolfgangi, Confessoris tui atque Pontificis, nos foveant continuata praesidia. Per Dominum.

Sabbato ante Domin. III Octobris  
(computus civilis)

In Ecclesiis consecratis Diocesis,  
excepta Cathedrali:

IN DEDICATIONE PROPRIAE  
ECCLESIAE

Duplex I classis cum Octava  
communi

Missa Terribilis, de Communi Dedicationis Ecclesiae.

Sabbato sequenti

In Ecclesiis, ut supra:

IN OCTAVA DEDICATIONIS  
PROPRIAE ECCLESIAE

Duplex majus

Missa ut in Festo.

† Die 30 Octobris, si fuerit Sabbatum, fit de Vigilia anticipata Omnium Sanctorum.

Die 31 Octobris

S. WOLFGANGI  
EPISCOPI ET CONF.  
PATRONI PRINCIPALIS  
CIVITATIS ET DIOECESIS

Duplex I classis cum Octava  
communi

Missa Sacerdotes tui, de Communi Confessoris Pontificis 2 loco, praeter Orationem sequentem:



## Oratio

P

**D**eus, qui nobis æternæ salutis beatum Wolfgangum Episcopum ministrum tribuisti: præsta, quæsumus; ut, quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessionem habere mereamur in cælis. Per Dominum nostrum.

*De Vigilia Omnium Sanctorum nihil fit.*

*Et dicitur Credo per Octavam.*

## Secreta

C

**S**ancti Wolfgangi, Confessoris tui atque Pontificis, quæsumus, Domine, annua sollemnitas pietati tuæ nos reddat acceptos: ut, per hæc piæ placationis officia, et illum beata retributio comitetur, et nobis gratiæ tuæ dona conciliet. Per Dominum nostrum.

## Postcommunio

C

**D**eus, fidelium remunerator animarum: præsta; ut beati Wolfgangi, Confessoris tui atque Pontificis, cujus venerandam celebramus festivitatem, precibus indulgentiam consequamur. Per Dominum.

*Infra Octavam de ea fit Commemoratio, juxta Rubricas.*

Die 5 Novembris

SACRARUM RELIQUIARUM

quæ in Ecclesiis Diocesis

asservantur

Duplex majus

*Missa Multæ tribulationes, ut inter Festa pro aliquibus locis.*

*Et fit Commemoratio Octavæ Omnium Sanctorum et Octavæ S. Wolfgangi ac dicitur Credo.*

Die 7 Novembris

IN OCTAVA S. WOLFGANGI  
EP. ET CONF.

Duplex majus

*Missa ut in Festo, cum Commemoratione Octavæ Omnium Sanctorum.*

Die 17 Novembris

S. FLORINI  
PRESBYTERI ET CONF.

Duplex

*Missa Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, præter Orationem sequentem:*

Oratio

P

**O**mnipotens sempiternæ Deus, qui beatum Florinum Confessorem tuum æternæ beatitudinis glória sublimasti: concède propitius; ut, cujus mérita veneramur in terris, intercessionis ejus auxilio muniámur in cælis. Per Dominum.

*Et fit Commemoratio S. Gregorii Thaumaturgi Ep. et Conf.:*

Oratio

**D**a, quæsumus, omnipotens Deus: ut beati Gregorii Confessoris tui atque Pontificis veneranda sollemnitas, et devotionem nobis augeat et salutem. Per Dominum.

*In Ecclesia Cathedrali dicitur Credo (ratione reliquiæ insignis).*

Secreta

C

**L**audis tibi, Domine, hostias immolamus in tuorum commemoratione Sanctorum: quibus nos et presentibus exui malis confidimus et futuris. Per Dominum.



Pro S. Gregorio

**S**ancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubique lætificent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Postcommunio

**R**efécti cibo potúque cælésti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cuius hæc comme-

Secreta

moratióne percépinus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Pro S. Gregorio

Postcommunio

**P**ræsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedén- te beáto Gregório Confessore tuo atque Pontífice, beneficia potióra sumámus. Per Dóminum.

INDEX ALPHABETICUS

Bennonis Ep. et Conf., duplex majus. 16 Junii	pag. 11*	Gamelberti Confessoris, duplex. 17 Januarii	pag. 3*
Bonifatii Ep. et Mart., Fundatoris Diocesis, duplex II classis. 5 Junii	11*	Godehardi Ep. et Conf., semiduplex. 11 Maji	9*
Clementis Mariæ Hofbauer Confessoris, duplex majus. 15 Martii	6*	Henrici Imperatoris, Confessoris, duplex majus. 13 Julii	12*
Conradi a Parzham Confessoris, duplex. 21 Aprilis	7*	Joannis Nepomuceni Martyris, duplex majus. 16 Maji	10*
Cunegundis Imperatricis, Virginis, duplex majus. 3 Martii	5*	Leonis IX Papæ et Confessoris, simplex. 19 Aprilis	7*
Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis, duplex I classis cum Octava communi. 30 Junii	11*	Mariæ B. V., Patronæ Bavariæ, duplex I classis. Sabbato primo mensis Maji	8*
— — In Octava, duplex majus. 7 Julii	12*	Ottonis Ep. et Conf., duplex. 9 Julii	12*
Dedicatio Ecclesiæ propriæ, duplex I classis cum Octava communi. Sabbato ante Domin. III Octobris	17*	Petri Canisii Confessoris et Eccl. Doct., duplex II classis. 27 Aprilis	7*
— — In Octava, duplex majus. Sabbato sequenti	17*	Petri et Pauli App., Titularium Ecclesiæ Cathedralis, duplex I classis cum Octava communi. 29 Junii	11*
Dionysii Ep., Patroni minus principalis Diocesis, ac Rustici et Eleutherii Soc. Mm., duplex majus. 9 Octobris	16*	Reliquiarum Sacrarum, quæ in Ecclesiis Diocesis asservantur, duplex majus. 5 Novembris	18* 6*
Emmerami Ep. et Mart., Patroni minus princip. Dioc., duplex majus. 22 Sept.	13*	Ruperti Ep. et Conf., duplex. 27 Martii	11*
Erhardi Ep. et Conf., Patroni minus principalis Diocesis, duplex majus. 19 Januarii	3*	Udalrici Ep. et Conf., duplex. 4 Julii	15*
Florini Presb. et Conf., duplex. 17 Novembris	18*	Uttonis Abbatis, duplex. 3 Octobris	
Friderici a Ratisbona Confessoris, duplex. 29 Novembris	1*	Wolfgangi Ep. et Conf., Patroni principalis Civitatis et Diocesis, duplex I classis cum Octava communi. 31 Octobris	17* 18* 16*
		— — In Octava, duplex majus. 7 Nov.	
		— — Translatio, duplex. 12 Octobris	



**IMPRIMATUR.**

Ratisbonæ, die 21 Januarii 1936

**DR. HÖCHT**

Vic. Gen.



Die 17 Septembris  
**S. HILDEGARDIS VIRGINIS**

Duplex

Introitus Ps. 72, 28

**M**HI autem adhærere Deo bonum est, pónere in Dómino spem meam: ut annúntiem omnes prædicationes tuas in portis fíliæ Sion. Ps. 40, 13 Me autem propter innocéntiam suscepísti: et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum. V. Glória Patri.

Oratio

**D**eus, qui beátam Hildegárdem Virginem tuam donis cæléstibus decorásti: tríbue, quæsumus; ut, ejus vestígiis et documéntis insisténtes, a præsentis sæculi calígine ad lucem tuam delectábilem transíre mereámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Com. Impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci Conf.:

Oratio

**D**ómine Jesu Christe, qui, frigescente mundo, ad inflammándum corda nostra tui amóris igne, in carne beatíssimi Francísci passiónis tuæ sacra Stigmata renovásti: concéde propítius; ut ejus méritis et précibus crucem júgiter ferámus, et dignos fructus peniténtiæ faciámus: Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios  
1 Cor. 1, 26-29

**V**idéte vocatiónem vestram, fratres, quia non multi sapiéntes secundum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles: sed quæ stulta sunt mun-

di elégit Deus, ut confúndat sapiéntes: et infirma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia: et ignobília mundi et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret: ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus.

Graduale Cantic. 3, 4 et 6, 2 Inveni quem díligit ánima mea: ténui eum, nec dimíttam. V. Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília.

Allelúja, allelúja. V. Isai. 61, 10 Exsultábit ánima mea in Deo meo, quia induit me vestiméntis salútis, quasi sponsam ornátam monílibus suis. Allelúja.

In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Sap. 4, 1-3 O quam pulchra est casta generátio cum clarítate: immortalis est enim memória illíus, quóniam et apud Deum nota est, et apud hómines. V. Cum præsens est, imitántur illam, et desíderant eam, cum se edúxerit. V. Et in perpétuum coronáta triúmphant, incoinquinatorum certáminum præmia vincens.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja. V. Ps. 30, 22 Benedictus Dóminus: quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitate muníta. Allelúja. V. Prov. 4, 9 Lætáre, mater nostra, quia dabit Dóminus cápiti tuo augméta gratiárum, et coróna ínclýta próteget te. Allelúja.



✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Mattháeum

Math. 25, 1-13

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus: quæ, accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviám sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes: sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce, sponsus venit, exíte óbviám ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núprias, et clausa est jánuá. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen, dico vobis, nescio vos. Vigiláte itaque, quia nescítis diem neque horam.

**Offertorium Ps. 41, 2 et 3** Quemádmódum desidérat cervus ad fontes aquárum, ita desidérat ánima mea ad te,

Deus. Sitívit ánima mea ad Deum ínter vivum.

**Secreta**

**S**anctæ Hildegárdis Vírginis tuæ leste stias immolámus: præsta, quæsumus, Dómine; ut, cum præsidio temporáli vitæ nobis præbeant increménta per pétuæ. Per Dóminum nostrum.

**Pro Impressione Ss. Stigmatum S. Francisci**

**M**únera tibi, Dómine, dicáta sanctificá: et, intercedénte beáto Francisco, ab omni nos culpárum labe purifica. Per Dóminum nostrum.

**Communio Philipp. 1, 20 et 21** Magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam, sive per mortem: mihi enim vívere Christus est, et mori lucrum.

**Postcommunio**

**P**erpétuo, Dómine, favóre proséquare, quos réficus divíno mystério: et quos imbuísti cælestibus institútis; eódem, intercedénte beáta Hildegárde Vírgine tua, salutáribus comitáre solátiis. Per Dóminum nostrum.

**Pro Impressione Ss. Stigmatum S. Francisci**

**D**eus, qui mira Crucis mystéria in beáto Francisco Confessóre tuo multifórmiter demonstrásti: da nobis, quæsumus; devotiónis suæ semper exémplo sectári, et assídua ejúsdem Crucis meditatióne muníri. Per Dóminum nostrum.

Concordat cum originali.

Wratislaviæ, die 29 Martii 1940

A. CARD. BERTRAM

Archiepiscopus Wratislavien.

IMPRIMATUR.

Ratisbonæ, die 3 Aprilis 1940

DR. DOEBERL